



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

vel aliqua alia vi abreptus , quo minime licebat, abstraherer, ut per pœnitentiam ad te reverterer. Tu vero, benignus ac misericors , ad condicionem fragilitatis humanæ respiciens, cor contritum & humiliatum non despiciebas. Reddideras etiam oculis animæ meæ lumen , ut viderent , quam bonum, & quam jucundum esset, servire tibi in sanctitate & justitia , tuisque obedire mandatis. Quo fiebat, ut denuo meditari inciperem , quemadmodum omnes cum rebus fluxis & caducis societatem dirimerem, ac perpetuum tecum fœdus inirem, neque tamen religiosæ cujuspiam familiæ legibus adstrictus ut antea meditabar , sed, nullius sub imperio ac potestate, domi meæ, solitus ac liber.

C A P . XVII.

Verum , hæc serio meditantem meus hostis invisibilis , qui intelligeret, se potissimum hac deliberatione feriri , atque omnes ipsius machinas labefactari atq; prosterni ; elatus iracundia , perturbare ac miscere omnia cœpit, & ita ferox instare, ut , nisi me de sententia everso, non conquiererit : atque , ad me pervertendum , novam ab inferis excitavit Erinnyn ; nimirum mulierem nequissimam , quæ aspiciendo, illiciendo , blandiendo , tantum mihi conflavit ardoris , ut, sine ulla dubitatione , furere omnibus & insanire viderer. ac persuasit mihi ferus , nullam esse homini voluptatem majorem, quam quæ mutuo ex amore percipitur. atque ita alte hanc mihi in animo sententiam infixit, ut ego ad ineptias usque delaberer, eatenus, ut Adonidis ac Paridis
me